Cena domini est prefigurata fuit in agno paschali
Qui singula quaque anno in pascate a iudeis solebat manducari
Hunc agnum dominus precepit filiis israel manducare
Quando decrevit eos de egyptiaca captivitate liberare
Ita christus sacramentum eukaristie tunc primum instituit
Quando nos de dyabolica potestate eripere voluit
Cum filii israel agnum pascalem manducabant
Succincti erant baculos manibus tenebant et stabant
Ita communicantes debent esse succincti per renes et corporis castitatem
Et tenere baculos in manibus per certe fidei firmitatem
Debent etiam erecti stare in bona vita quam inchoaverunt
Et non se iterum reponere in lutum de quo surrexerunt
Agnus edebatur cum lactucis agrestibus id est amaris
Et nos debemus corpus domini cum amara contritione manducare
Qui comedebant agnum tenebantur pedes suos calciare
Et per pedes solet sacra scriptura desideria designare
Communicantes ergo pedes suos calciare tenentur
Cavendo ne desideria eorum sorde aliqua maculentur
Agnus paschalis non fuit coctus aqua sed assus igne
Et communicans debet esse ignitus caritate ut manducet digne
Christus eukaristiam sub specie panis et vini donavit
Hoc olim melchisedech rex et sacerdos prefiguravit
Quatuor reges terram in qua abraham habitabat vastaverunt
Et multa spolia et loth cum multis captivis abduxerunt
Abraham autem cum suis ipsos insequebatur
Et percutiens eos cum captivis ad propria revertebatur
Occurrit ei autem melchisedech offerens sibi panem et vinum
In quo prefigurabatur hoc sacramentum divinum
Melchisedech erat rex et sacerdos dei altissimi
Et gerebat figuram domini nostri ihesu christi
Christus enim est rex qui omnia regna creavit
Hic etiam est sacerdos qui primam missam celebravit
Melchisedech sacerdos et rex panem et vinum obtulit
Christus sub specie panis et vini hoc sacramentum instituit
Quapropter sacerdos secundum ordinem melchisedech appellatur
14º Quia sacramenti oblacione melchisedech prefigurabatur
Melchisedech erat sacerdos et etiam princeps regalis
In quo pulcre figurabatur dignitas sacerdotalis. prefigurationem
Sacerdotes enim bene preeunt dignitate principes regales
Quia in dignitate precellunt omnes principes mundiales
Excellunt etiam in potestate patriarchas et prophetas
Et etiam quodammodo ipsas virtutes angelicas
Sacerdotes enim sacramentum conficiunt quod angeli facere nequiunt
Nec patriarche nec prophete olim facere potuerunt
Per mariam filius dei semel olim incarnabatur
Per sacerdotem autem sepius panis in carnem transsubstantiatur
Sacerdotes igitur propter sacramentum debemus honorare
Quos christus confectores sui sacramenti dignatus est ordinare
O bone ihesu da nobis tuum sacramentum ita venerari
Ut a te numquam mereamur in perpetuum separari

TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/Hs-2505/0059
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt